Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26118
Copyright: Admont, Benediktinerstift

fortis cum rediret et acciperet regnum rursus suam sibi vendicat quam desponderat
anime sibi ducentis preputiis phylistinorum. a qua non solum carnis, sed et immunditiam
abstulerat. Ve peccatoribus domine sepulchrum tuum obsidentibus. quo non ve
re declinas ab eis. et non inveniunt te in lectulo tuo suavi et florido.
sed potius offendunt in statuam cordis sui tenebris involutam. habentes ad
caput suum pellem caprinam peccatorum suorum memoria fetentem. Beatus autem qui
vigilat ad monumentum tuum et custodit te. et luctatur mane cum angelo
resurrectionis nec dimittat eum donec audiat aliquid de nomine eius.
quod est mirabile. ut et nomen iacob commutetur in israhel. et transmutato no
mine doloris. statim orietur ei sol iusticie.

Quis Revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti. Clausum est domine
ostium mentis mee. et premit intellectum meum lapis mortalitatis.
pregravatus pondere iniquitatis mee. nec humane prorsus vires valent
amovere illum. nisi omnipotens sermo tuus a regalibus sedibus veniat. angelus
magni consilii. qui dirimit inimiciciarum maceriam. et aperiat nobis sensus
ut intelligamus scripturas. et videamus linteamina posita ante nos.
humanitatis et resurrectionis tue testimonia verissima. In
quibus qui te scrutari te adiuvante potuit pregustabit aliquid de gloria
resurrectionis. quam preparasti diligentibus te. cuius primitias in sinu
tuo iam collegisti offerens eas semper in conspectu patris tui. tortas igni
spiritus sancti. Et ille quidem angelus tanti gaudii prenuntius. qui revolvit lapidem.
et impias mentes deterruit. pias autem blande leniens timere prohibuit.
ille inquam angelus non tantum verbo. sed et vultu. habitu vel actu. beate
resurrectionis testimonium perhibuit. Revolvit enim lapidem et super
eum sedit. lapidem inquam. qui et nunc revolutus est super nos. et faciem nostram
deprimit. Quod in prima quoque resurrectione que est anime fieri non dubium est.
ut prementem se corruptionis sarcinam versa vice spiritu subiciat. et
velut iudex ac dominus. inferioris sui regimen accipiat. Quod autem